

proxime accedat. Lector, velim, animum a me parum per auertat, Dannhauerum aut Piscatorem disputare ipsum putet.

## §. I

Vniuersalem totius generis humani resurrectionem futuram demum esse ad diem extremum, nemo inter Christianos, euidentissimorum scripturae effatorum Joh. VI, 39. -- 54. XI, 24. memor, in dubium vocabit, id tamen non videtur impeditre, quo minus aliqui homines ab illa uniuersalitate excepti, citius die extremo ad vitam redire dicantur. Ut enim ista uniuersalitas non elevatur, dum homines in die extremo adhuc superstites, qui, ut loquitur Tertullianus, <sup>10</sup> continuabunt *sitam lucrifa&ta morte per vicariam demutationem*, nec mortis nec sepulturae participes futuros credimus, dumque alios plures in scriptura nominatos ante nouissimum diem resuscitatos esse scimus; ita pariter nihil isti doctrinae decedit, si praeter hos etiam alii singulis subinde seculis a Deo e sepulcris excitari putentur. Sufficit, si tuto credamus, omnes et singulos homines, pios non minus quam impios, omnis aetatis, sexus, dignitatis, regionis aliquando vere ad vitam reuocandos esse, ut animo corporeque coniunctis aeternam mereendem ex iustitia diuina pro meritis adipiscantur. Quo autem tempore, quo anno, quo die, serius an citius quis resuscitetur, ad rem proprie non spectat. *Imo et confirmatur carnis resurrectio generalis, cum excipitur specialis*, ut loquitur Afer. <sup>11</sup> Quapropter salua fidei analogia, veritate resurrectionis extremo die exspectandae immota, de particulari quorundam piorum resuscitatione academicē disputare licebit. Disputationem vero hanc ita instituemus, ut I. argumenta quaedam proferamus, quae sententiam Dannhaueri approbare videntur, eademque examine-

mus.

<sup>10</sup>) *De resurrect.* c. 42.

<sup>11</sup>) *Tertull.* I. c. 50.